



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1553. usque ad annum 1557

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1771

VD18 9011857X

§. 52. Lansacus Senas ingressurus in itinere captus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66565](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66565)

Sæcul. XVI.
A.C. 1554.

§. LII.

Lansacus Senas ingressurus in itinere captus.

Comm.
Montluc. l. 3.
Thu. l. 14.

Cum Montlucius alvi profluvio periculose decumberet, ac rei summæ haud amplius præesse posset, exercitus imperium Bentivolio commisit: illud vero Lansaco, qui tum Romæ agebat, deferri voluit Strozzius, eo quod obsidionis curam Gallo, quam Italo relinquere consultius censeret. Re comperta Lansacus mox Mont-Ilcinum, ubi Strozzius sua vulnera curaturus hærebat, contendit, perceptisque Strozzi rationibus die undecima Augusti Mont-Ilcino noctu secessit Senas profectus: cum vero ductoribus itineris haud probe gnaris uteretur, ab hoste interceptus, ad Marcinianum Marchionem protinus abducitur, qui captum quantocius ad Cosmam Ducem Florentiam abstrahi præcepit, ubi S. Miniatis arci inclusus usque ad belli exitum detinebatur. Itaque Strozzius, cum per hujus Viri captivitatem sua consilia penitus everfa cerneret, suarum partium esse arbitrabatur, ut nulla mora Senas rediret, quamvis nondum ex vulnere sanatus esset. Ergo tria peditum vexilla, ac duas Equitum alas, quibus Serilianus natione Vasco præerat, secum ducit,

ducit, assumpto etiam Francisco Bando præfatæ Civitatis Episcopo, noctu- que profectus Cervolium venit, ubi ad- junctis aliis tribus Itatorum vexillis unacum plusquam centum jumentis annona onustis Senas contendit. Stroz- zii consilio fortuna expectatione major adspirabat; quippe Serilianus ab hoste invasus, cum Gallos rursus pedem re- ferre cerneret, in astu consilium quæ- rens plures tubas variis in locis inso- nare præcepit, unde Cæsarei, cum om- nem Equitatum adventare crederent, metu perturbati retrocesserunt, hocque pacto urbem ingrediendi opportunita- tem Strozio procurarunt, qui civium animos proximi auxilii spe erigens, de Reipublicæ rebus disponendis agere cæ- pit; inde vero duodecimo post die rece- dens, cum Montlucium pristinæ valetu- dini restitui cerneret, assumptis secum centum quinquaginta Sclopetariis, ac vi- ginti quinque Equitibus, die secunda Septembris Casolium venit, inde vero mox Ilcini - Montem se contulit, ut tot copiis, quot posset, collectis Senensibus opem ferre valeret.

Interea Marinianus Marchio circum- vicina oppida, quæ adhuc ejus consi- liis obstabant, occupare constituit, ac præprimis Menzanum, irritò licet suc- cessu, aggreditur. Verum fortuna lon-

Sæcul. XVI.

A. C. 1554.

Sæcul. XVI.
A.C. 1554.

ge magis propitia eidem arridebat, cum Monteregium invaderet; hanc enim urbem ex proditione Joannini Zethi, quem Strozzius cum valido præsidio urbi imposuerat, Gallis feliciter eripuit, simulque ob magnam Pompæi Crucei Gubernatoris natione Mediolanensis ignaviam Casolium in deditionem accepit. Postea continuato victoriarum cursu Hispani ductore Carolo Gonzaga Montemrotundum aggressi, impetu facto hanc urbem occuparunt, eamque diripuerunt, moxque Massam oppidum Monterotundo sat vicinum, necnon illius arcem & postea Girifalconium, Trabale, Pratam, & Talium ceperunt, quo facto Senensium res in arcto positæ erant, quamvis cives affirmarent, quod potius inedia mori, quam Franciæ Regis fidem deserere parati essent.

§. LIII.

Senensis urbis expugnatio scalarum ope incassum tentata.

Thu. l. 14.
Pallav.
l. 13. c. 10.

Nihilominus hæc urbs ad miseram prorsus conditionem erat redacta; quippe tanta in urbe erat annonæ penuria, ut in dies nonnisi novem uncizæ panis viritim distribuerentur: juncto tamen libertatis servandæ studio cives ita accendebantur, ut extrema quæque subire potius parati essent, quam de deditione